

PRAEFATIO

et lituris ab interpolatore recentissimo factis ita deformatus est ut saepe genuina eius lectio legi nequeat.

De codicum ratione et de emendationibus quae hoc volumine continentur alias fusius egi. (Cf. *Anecdota Oxoniensia*, Classical Series, Part vii. 1892; *Oratio pro Milone*, Oxford, 1895; *Classical Review*, 1900, I, v, VIII.)

Gratias ago amplissimas Iacobo S. Reid, Historiae Antiquae apud Cantabrigienses Professori, qui me consiliis suis saepenumero adiuvit et emendationes aliquot in Philippicas mecum benignissime communicavit.

A. C. C.

Scribebam Oxonii
Mense Octobri MDCCC.

ORATIONVM quae in hoc volumine continentur editionem meam xvii abhinc annos curatam fere obsoletam esse non sum qui negem. Novis iam codicibus aucti sumus, nova exorta est numeri oratorii ratio, quae in correctionibus probandis multum valet, alia etiam subsidia, de quibus dicturus sum, nacti sumus. Permiserunt igitur mihi Preli Clarendoniani Curatores ut re tota iterum suscepta has orationes de integro emendarem.

In Miloniana codicis Cluniacensis 496, nunc deperditi, notitiam praebent excerpta Bartolomaei de Montepolitiano (*B*) et lectiones variae in margine Parisini 14749 (Σ) enotatae.¹ Cluniacensis cum Harleiano perpetua fere consensio est. Ambo eadem magna lacuna (§§ 18-37) labora-

¹ Cf. *Anecdota Oxoniensia*, Classical Series, Part x. The Vetus Cluniacensis of Poggio (1905). Cf. *Praefat. ad Roscianam*.